

leid / das ist / ein böse Gewissen. Denn ein böse Gewissen ist die Hölle selbst. Et D. Cbytraeus lib. de M. & V. Æ. P. II. sub finem: *Conscientia male angores, formidines ac cruciatus sevissimos sine ulla intermissione ardentis & excarnificantes impios in hac vita & tota aternitate, Christus, pbrasi ex Esa. LXVI. sumpta, Vermem non morientem appellat Marci IX, Additque post paulo seqq. Condidit enim Deus ipse in natura hominum hunc ordinem, ut in mente luceant notitia legis, gubernatrices actionum, approbantes recte facta, & condemnantes scelera, ac in voluntate & corde sint motus letitia ac tristitia notitiis congruentes. Et rectorum consiliorum ac factorum conscientiam tranquillitas cordis sequatur. Delicta autem & scelera comitetur tristitia, dolor, formido, confusio, tremor, fuga, & consternatio animi perpetua, ut sint vindices & pœna scelerum, & (NB.) testes de futuro iudicio & inferorum pœnis, quorum summus gradus hic conscientie morsus scil. vermis non moriens futurus est.*

§. XV. Cæterum non insolens est, homines in hunc statum prægustus damnationis coniectos Apparitionibus Malorum Dæmonum aut Spectrorum variorum, seu sensui externo revera occurrentibus, seu phantasiæ quomodocunque præsentatis spectaculis illis terribilibus, affligi; Vocibus quoque malorum gravissimorum, imminentisque mortis aut damnationis, nuntiis terreri; aliquando sibi videri ipsos ignis infernalis dolores & cruciatus in corpore suo experiri.

§. XVI. Sic Baronius Tom. XII. Annal ad A. 1100. refert historiam Presbyteri fornicarii mirabiliter postea vexati & clamantis: *En! en! ignis de Cælo, ut torrens inundans descendit, & super hunc lectum meum veniens, jamjam me in favillam usque comburet. Et rursus: Ab! Ab! ad iudicium aeternum raptus sum. Et heu miser, æterna morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum Diabolo & Angelis ejus perpetuo cruciandus. Ecce, ecce, ignita sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamque ad me frigendum undique succenderunt.* Sic etiam Crescentio, Legato Pontificis & partes Domini in Concilio Tridentino acriter agenti,
cum